



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Art. 4. & probat ex Apostolo ad Hebraeos 11. dicente quod *fides est argumentum non apparentium*, vel ut in textu Græco habetur, *ὅτι ἡ πίστις ὁρατὸν οὐκ ἔχει*, id est non visum: Sed per actum scientiæ evidētis, aut per claram Dei visionem, etsi illa per modum transeuntis fiat, res credita definit esse non visa, & in ipso esse appārens & manifesta, ut constat: Ergo per actum scientiæ evidētis, vel per claram Dei visionem, per modum transeuntis communicatam, objectum fidei tollitur.

194. Respondeo concessa Majori, neganda Minorē. Ad cuius probationem dico, objectum fidei habitualis esse non visum habitualiter: unde quantumcumque aliquid sit visum actualiter, dummodo habitu liter sit non visum, non destruitur ratio formalis objecti habitus fidei: sicque ille cum actu scientiæ evidētis, vel cum clara Dei visione, per modum transeuntis communicatā, in eodem intellectu stare potest; quia licet actus scientiæ aut visionis denominent objectum visum, vel appārens actualiter, non tamen habitualiter & permanentē, id enim solum competit habitui scientiæ, aut luminis gloriæ, per modum habitus & qualitatis permanentis collato, quo pacto confertur Sanctis in patria.

195. Dices: Actualis visio facit objectum magis & perfectius esse visum, quam habitualis: Ergo si habitus scientiæ, & luminis gloriæ, per modum habitus & qualitatis permanentis collatum, cum habitu fidei stare nequeant, a fortiori actus scientiæ & visionis erunt cum illo impossibiles.

Sed nego consequentiam: hoc enim non est causa quare habitus fidei & scientiæ simul stare nequeant, sed maior & directā oppositio, quam inter se habent: unde cum actus scientiæ, & visionis non opponatur directē habitui fidei, sed mediātē tantum & indirectē, ut supra ostensum est, simul cum illo esse possunt. Sicut licet maior sit malitia in actibus, quam in habitibus vitiorum; tamen quia actus non contrariatur directē habitui, sed indirectē tantum, cum habitu vitii potest esse actus virtutis, vel e contra habitus virtutis cum actu vitii, ut docet Divus Thomas 1. 2. quæstione 7. articulo 4. ubi sic discutit: *Alii vero se habent habitus in anima, & forma in re naturali: forma enim naturalis ex necessitate producit operationem sibi convenientem, unde non potest esse simul cum forma naturali actus forme contraria, sicut non potest esse cum calore actus infrigidationis, neque simul cum levitate motus descensionis, nisi forte ex violentia exteriori moveatur: sed habitus in anima non ex necessitate producit suam operationem, sed homo utitur eo cum voluerit: unde simul habitus in homine existente potest non uti habitu, aut agere contrarium actum, & sic potest habens virtutem procedere ad actum peccati.*

ARTICULUS VII.

Utrum saltem evidētia in attestante cum fide composibili sit?

§. I.

Quibusdam premisis, conclusio affirmativa statuitur.

196. **H**Æc quæstio nullam patitur difficultatem apud illos, qui evidētiā objecto fidei non repugnare existimant, dummodo per aliud

A medium quam per revelationem habeatur: cum enim evidētia rei in se maior sit, quam evidētia in attestante, quæ non est ipsius rei revelata, sed duntaxat ipsius revelationis, & testificationis nobis facta, ita ut clarē & evidenter nobis constet revelationem illam esse à Deo; illi quidocumque evidētiā rei in se posse simul stare cum fide, à fortiori id asserere debent de evidētia in attestante. Sed apud Thomistas, qui cum Preceptore Angelico docent evidētiā rei in se, et per aliud medium quam per revelationem habeatur, repugnare objecto fidei, disputari solet, an saltem evidētia in attestante cum fide composibilis sit, ut ut alii loquuntur, an objecta fidei ab eo credi possint, qui evidenter cognoscit, extra visionem beatam, Deum illa revelare? Pro cuius resolutione.

Supponendum est primò contra Bannem, infra quæst. 5. art. 1. dubio unico, solut. ad 2. posse dari evidētiā in attestante extra visionem beatificam.

Probatur breviter: Evidētia in attestante est certa & evidēs cognitio revelationis divinæ: Sed divina revelatio, cum fiat per aliquem exteriorem effectum, qui dicitur locutio, est cognoscibilis evidenter extra verbum; alias enim daretur aliquodens, quod secundum se, & in propria natura, non esset evidenter cognoscibile. Ergo potest dari evidētia in attestante extra verbum, seu visionem beatificam.

Confirmatur: Quemadmodum possumus cognoscere evidenter vocem alicujus hominis loquentis, absque eo quod ipsum videamus; ita potest Deus manifestare vocem suam, five exteriorem illos effectus, quibus loquitur & testificatur aliquid, quique consistunt in veris miraculis, potest inquam, illos effectus, subindeque vocem suam manifestare, absque eo quod a nobis videatur: Ergo potest dari evidētia in attestante, extra visionem beatificam.

Idem variis exemplis illustrari & confirmari potest. Nam primus Angelus, ut infra ostendimus, dum esset viator, habuit evidētiā in attestante de Dei revelatione, cum certò & evidenter cognoverit se à solo Deo posse illuminari. B. etiam Virgo, cum seiret se non peperisse viā ordinariā, & simul Virginem se esse, & matrem, taleque signum accepisset in testimonium divinitatis filii quem genuerat, habebat evidētiā in attestante de Christi divinitate. Idem dicendum de Lazaro, cum certò seiret, Christum in testimonium suæ divinitatis ipsum à mortuis suscitasse. Item S. Thomas infra quæst. 171. art. 5. & Cajetanus ibidem, docent Prophetam, dum illuminatur à Deo, certum fieri de illuminatione & locutione Dei, habereque ejus evidētiā, juxta illud 2. Regum 23. *Mibi locutus est fortis Israel, dominator hominum, sicut lux aurora orientis sole mane rutilat absque nubibus.* Ubi omnino appositè, ad innuendum hanc revelationem esse evidenter, saltem in attestante, comparatur luci auroræ, ut distinguatur tum à cognitione omnino clara & meridiana, quæ est visio beatifica; tum à cognitione omnino obscura, scilicet sola fide. Denique valde probabile est, Apostolos, & Evangelistas, eandem habuisse evidētiā divinæ revelationis: cum enim divina providētia infima per media regat & administrat, congruum videtur, ut primi fidei Doctores, quibus Deus immediate mysteria sua revelavit, eorumque organo & ministerio illa ceteris credenda

dena proposuit, maiorem aliquam illorum habentem notitiam, quæ alia esse nequit, quam evidentia in attestante, quæ inter fidem & visionem media est. Unde i. Joan. i. dicitur: *Quod vi-
dimus, testamur, & annuntiamus vobis, ut vos cred-
itis.* Ubi asseritur vidisse Apostolos quod nos
credimus; vidisse, inquam, non in se, sed in
attestante.

Suppono secundo, evidentiam divinæ revela-
tionis, quæ evidentia in attestante dicitur, du-
pliciter posse considerari: primo secundum se
ipsam, absque alia cognitione evidenti, sibi con-
iuncta: secundo prout est coniuncta cum alia
duplici cognitione clara & evidenti, quarum una
est, quod Deus non potest mentiri, nec falli, nec
fallere; altera, quod quando Deus revelat ali-
quam veritatem, loquatur in sensu literali &
quam veritatem, ita ut possit formari sequens discursus:
*Deus non potest mentiri, nec falli, nec fallere; & mo-
do in sensu literali dicit mihi quod Verbum caro fa-
ctum est: ergo ita est à parte rei.* In quo discursu præ-
missæ sunt evidenter notæ, & conclusio bene ex
illis inferretur.

Tertio supponitur tanquam certum, quod fi-
des potest stare cum evidentia in attestante, pri-
mo modo considerata: nam etsi aliquis cogno-
scat Deum sibi loqui, si tamen ex alia parte non
cognoscit evidenter, quod Deus non possit falli,
nec fallere, & quod loquatur in sensu literali &
proprio, non est sufficiens motivum ad cognos-
cendum evidenter ita esse sicut Deus loquitur.

Unde solum difficultas est de evidentia in at-
testante, secundo modo considerata, prout scilicet
secum habet adiunctas alias duas cognitiones evi-
dentes, ex quibus potest formari prædictus dis-
cursus: an scilicet cum assensu fidei illa compossi-
bilis sit?

Partem negantem tenent Durandus, Bannez,
& Victoria, quos sequitur illustrissimus Archie-
piscopus Avenionensis, hic art. 5. cap. 8. Hanc
etiam ut probabilem defendit Joannes à S. Tho-
ma, disp. 2. art. 2. Sed affirmativa sententia in
schola D. Thomæ communior est, eamque do-
cent Cajetanus infra quæst. 5. art. 1. Ferrariensis
3. contra Gentes, cap. 40. Alvarez in 3. p. disp. 61.
concl. 1. Philippus à S. Trin. hic disp. 2. dub. 5.
& alii cum quibus.

Dico: Qui habet evidentiam in attestante, id
est evidentiam divinæ testificationis, potest ha-
bere fidem de veritate testificata, quamvis tunc
etiam clare & evidenter cognoscat Deum in sensu
literali & proprio loqui, & ipsum nec falli nec
fallere posse.

Probat primò conclusio ex D. Thomæ, infra
quæst. 5. art. 2. in corp. ubi sic ait: *Si aliquis
propheta prænunderet in sermone Domini aliquid
futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando,
ut hoc signum convinceretur intellectus videns, ut cogno-
sceret manifeste hoc dici à Deo, qui non mentitur, licet
ad futurum quod prædicatur, in se evidens non esset:
unde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Quibus verbis
clare fatetur, quod cum manifesta cognitione
locutionis Dei, qui non mentitur, potest stare
fides circa rem dictam, vel revelatam, quia per
talem locutionem, vel revelationem, ipsa non
redditur evidens in se.

Respondet Joannes à S. Thomæ, oppositam
sententiam ut probabilem defendens, S. Docto-
rem in illo loco non agere de evidentia testifica-
tionis in se, sed de evidentia credibilitatis, quam
omnes concedunt posse stare cum fide.

Sed hæc responsio manifestè repugnat textui,
ait enim S. Thomas: *Ex hoc signo convinceretur
intellectus videns, ut cognosceret manifeste, Hoc
dici à Deo, qui non mentitur.* Quæ verba evi-
dentiæ testificationis in se, non verò solius cre-
dibilitatis, apertè declarant. Nec valet quod
subdit prædictus Author, nimirum verba illa S.
Doctore significare solum, quod intellectus
convinceretur per tale miraculum, ut manifestè
crederet illud esse credibile credibilitate divinâ:
nam verba illa: *Cognosceret manifeste hoc dici à Deo*
non nisi de divina dictione, seu locutione, intel-
ligi possunt, ut de se patet.

Adde quod ex ratione S. Thomæ colligitur ip-
sum loqui de evidentia ipsius testificationis, seu
revelationis: tota enim ratio, quam ibi propo-
nit ad probandum quod non tollitur ratio fidei
circa illud futurum, quod quis evidenter cogno-
scit à Deo dici, est quia tale futurum remanet ni-
hilominus in se obscurum: Sed etsi cognoscatur
evidenter divina testificatio, seu revelatio, adhuc
tale futurum in se obscurum remanet, ut ex infra
dicendis constabit: Ergo prædicta verba D. Tho-
mæ de evidentia testificationis, & non solum cre-
dibilitatis, possunt & debent intelligi.

Probant secundo nostram conclusionem plures
ex nostris Thomistis hoc discursu: Qui propo-
sitionibus fidei nostræ obscurum præbere potest al-
sensum, potest eas credere: Sed licet aliquis evi-
denter cognoscat, extra visionem beatificam,
Deum eas revelare, idque in sensu proprio, &
in tali revelatione non posse nec decipi, nec deci-
pere, potest tamen obscurum eis præbere assen-
sum: cum eas non videat in seipsis, nec in causa, vel
in effectu; nam illa testificatio extrinseca non est
causa veritatis testificata, quandoquidem sine
tali testificatione staret talis veritas; item non
causatur testificatio ut effectus illius veritatis,
cum solum causetur à Deo testificante: Ergo li-
cet aliquis evidenter cognoscat extra visionem
beatificam, Deum propositione nostræ fidei re-
velare, idque in sensu proprio, & in tali revela-
tione non posse decipi, nec decipere, potest ni-
hilominus eas credere, subindeque stare fides
cum evidentia in attestante.

Verum hæc ratio sic posita parum urget,
quia responderi potest cum Joanne à S. Thomæ,
demonstrationem evidentem non requirere re-
solutionem in causas, vel in effectus entitatis,
sed in causas & fundamenta veritatis ad quod
sufficit quælibet connexio necessaria: unde si ve-
illud sit conditio requisita, siue medium extrin-
secum, siue causa extrinseca, sufficit ad genera-
dam notitiam evidentem & convincentem intel-
lectum. Sicut multæ demonstrationes mathema-
ticæ procedunt ex rationibus omnino extrinsecis,
& tamen veram generant scientiam; & demon-
strationes deducuntur ad inconveniens, vel pro-
cedentes à simili, per extrinsecum medium pro-
cedunt, & nihilominus evidentem pariunt noti-
tiam. Ergo licet autoritas dicentis sit medium
extrinsecum, si tamen habeat necessariam conne-
xionem cum veritatibus revelatis, quoad ratio-
nes ipsis proprias, veram illarum generabit de-
monstrationem & scientiam.

Quapropter aliter debet formari illa ratio, ut
sit efficax, & urgeat Adversarios, sicque breviter
propti. Qui cognoscit evidenter veritates nostræ
fidei, non quoad rationes ipsis proprias, sed tan-
tùm quoad rationem illis omnibus communem,
potest eas credere, quantum ad prædicata ipsis
spe-

specialia : Sed qui evidenter cognoscit extra visionem beatificam, Deum revelare veritates nostræ fidei, loquendo de ipsis in sensu proprio, & non mentiendo, evidentiam habet de illis, solum quoad rationem eis communem : Ergo potest adhuc eas credere, quoad prædicata quilibet specialia. Minor est certa : qui enim evidenter extra visionem beatificam cognoscit, Deum veritates fidei nostræ, in sensu proprio, & non mentiendo, revelare, evidentiam habet de illis, duntaxat quoad ipsarum revelationem, quæ, ut constat, est quid eis commune. Major verò probatur : Ideo solum qui evidenter cognoscit nostræ mysteria esse credibilia, potest tamen, etiam juxta doctrinam Adversariorum, ea quantum ad prædicata specialia credere, quia evidentia credibilitatis est evidentia rationis, non specialis, sed communis omnibus mysteriis : Ergo similiter qui cognoscit evidenter veritates nostræ fidei, non quoad rationes ipsis proprias, sed tantum quoad rationem illis omnibus communem, potest eas, quantum ad prædicata ipsis specialia, credere. Sicut in humanis licet aliquis evidentem habeat cognitionem de aliqua re secundum rationem communem & genericam, puta quoad rationem corporis, vel animalis, potest tamen adhuc habere fidem humanam circa prædicata ipsi specialia, & credere alteri homini dicenti, quod res illa sit leo, vel homo, vel Petrus, aut Joannes.

208

Probatur tertio conclusio : Angelus ante beatitudinem, & in statu viæ, habuit fidem, ut docet S. Thomas infra quæst. 5. art. 1. & tamen supremus Angelus habebat evidentiam in attestante mysteriorum quæ Deus ipsi tunc revelavit : cum enim evidenter cognosceret se esse supremum & primum Angelorum, subindeque non posse ab alio illuminari (illuminatio enim est superioris ad inferiorem) evidenter etiam cognoscebat, quod Deus immediate ipsi loquebatur, & sua mysteria revelabat : quin imò omnes Angeli videntur fuisse immediate illuminati à Deo de mysteriis fidei, habuerunt enim illorum revelationem in primo instanti suæ creationis, in quo solus Deus poterat eis loqui ; nam cum omnes simul creati sint non poterat aliquis eorum præsupponi, ut alium illuminaret, subindeque omnes cognoscebant se immediate à Deo illuminari, & tamen in eo instanti habebant fidem : Ergo fides stare potest cum evidentia divinæ testificationis seu revelationis, quæ evidentia in attestante dicitur.

209

Huic argumento, quod efficacissimum est, varie occurrunt Adversarii. Quidam dicunt, quod licet primus Angelorum videret se esse supremam omnium creaturarum quas cognoscebat, poterat tamen existimare, quod Deus per miraculum occultaret sibi creaturam superiorem, quæ mediante proponeretur res fidei. Alii asserunt, quod Angeli in primo instanti non cogitabant, nec attendebant, quod Deus, qui est prima veritas, nec poterat fallere, nec falli, evidentia autem in attestante, de qua in præsentis est quæstio, debet habere conjunctam evidentem cognitionem, quod Deus nec falli, nec fallere potest, ut suppositione 3. annotavimus. Tertio Joannes à S. Thoma, loco suprà citato, respondet quod Deus non revelavit Angelo evidentem determinatum sensum in quo loquebatur, sed locutus est cum aliquo mysterio, & includendo plures sensus, quorum determinationem non evidenter, sed cum aliqua obscuritate, Deus proponebat An-

gelo. Sicut modò in Sacra Scriptura multa mysteria sunt recondita, quorum ipsi Prophetæ, quando ea scribebant, aut dicebant, determinatum & genuinum sensum evidenter non cognoscebant.

Sed hæc frivole & gratis dicuntur : In primis enim nulla prorsus erat ratio, ob quam primus Angelorum suspicaretur sibi proponi res fidei ab aliqua creatura, quæ ipsum lateret ; nam ille evidenter cognoscebat se esse supremum Angelorum, & quod ipsi debebatur connaturaliter cognitio Angeli alterius, si daretur, & alias nulla apparebat causa, quæ Deus moveretur ad denegandum ei quod ipsi erat debitum connaturaliter. Ergo absque fundamento asseritur talis existimatio in Angelo supremo. Adde quod, juxta illam responsum, lateri necesse est, quod tunc miraculo non potuerit esse fides in primo Angelorum, quod dicendum non est.

Gratis etiam & absque fundamento recurritur ad inadvertentiam, per quam primus Angelorum in primo instanti non adverterit, quod Deus, qui est prima veritas, nec falli, nec fallere potest : non enim apparet ex quo capite impediretur Angelus, ne in eo instanti ad veritatem tam claram & evidentem attenderet ; quin imò debebat attendere ad illam, antequam eliceret ædum fidei : nam cum alicui proponitur credenda aliqua veritas difficilis & supra naturam, non potest non cogitare, neque non attendere ad auctoritatem dicentis, ex qua debet moveri ad credendum, ut constat manifestè in omnibus quibus proponitur divina fides, & facilius intelligitur in Angelo cognoscente evidenter revelationem esse à Deo.

Non videtur quoque probabile, nec verisimile, quod mysteria fidei, quæ nobis sine ambiguitate fuerunt revelata, fuerint supremo Angelo indeterminatè & confusè proposita, & ubi nobis litteraliter & clarè dictum fuit, Deum esse Trinum & Unum, supernaturalem præmiatorem, Verbum divinum esse Incarnatum, &c. Angelo fuerit confusè revelatum.

S. II.

Solvantur obiectiones.

Obijcies primò contra præcedentem conclusionem : Qui evidenter cognoscit aliquam veritatem, non potest eam simul credere ; alias enim cum assensus fidei sit cognitio obscura, posset quis evidenter simul & obscurè eandem veritatem cognoscere : Sed qui evidenter cognoscit Deum esse summè veracem, eumque aliquam veritatem nostræ fidei revelare, & in quo sensu eam revelet, evidenter eo ipso cognoscit talem veritatem ; id enim cujus revelatio est evidens, non est obscurum, sed manifestum : Ergo non potest eam credere, subindeque fides cum evidentia in attestante stare nequit.

Confirmatur primò : Qui evidenter cognoscit medium, evidenter cognoscit etiam conclusionem, quæ necessariò & evidenter ex illo inferitur. Sed summa Dei veritas, ejusque de aliqua propositione testimonium, est medium ex quo talis propositio necessariò & evidenter inferitur : propterea enim ille syllogismus, *Quidquid à Deo, qui summè verax est, revelatur, intellectum eo sensu quo revelatur, est verum : Atqui Verbum carnem esse factum, revelatum est à Deo, qui summè verax est : Ergo hæc propositio, Verbum caro factum est, eo modo intellecta quo à Deo revelata fuit, est*